

/ Admodum Reverende Pater. Ex mandato Sanctissimi Domini Nostri Pauli Quinti, congregati sunt a me, hic Romae, procuratores generales totius ordinis Sancti Benedicti, ut inter se tractarent de breviario ita accommodando, ut commune esse posset omnibus religiosiis, qui militant Domino Deo Nostro sub vexillo Sanctissimi Patris Benedicti, et quoad fieri posset, ad breviarium Romanum accederet. Praedicti venerabiles patres procuratores in hoc opus diligenter incumbunt, et brevi ad felicem exitum perducent. Quare, optimum erit ut Reverenda Paternitas Vestra non permittat interim
5 excudi breviaria vel diurnalialia, vel etiam missalia, donec de perfectione huius operis, et de voluntate Sanctissimi Domini Nostri certior fiet. Spero autem gratissimum futurum admodum Reverendae Paternitati Vestrae, ut sicut uno quasi ore et uno spiritu in diversis regionibus Deum assidue laudant universi, qui Sanctissimi
15 Patris Benedicti regulam sequuntur, ita etiam uno atque eodem breviario in Dei laudibus utantur, et iuxta eiusdem missalis directionem sacrificium Corporis et Sanguinis Domini Altissimo Patri offerant. Valeat Reverenda Paternitas Vestra, mei memor in sanctis et Deo Nostro gratis orationibus suis. Romae, die 25 februarii 1612.

20 Admodum Reverendae Paternitatis Vestrae

uti frater

Robertus Cardinalis Bellarminus.

Admodum Reverendo Patri domno Aloysio de Bagnacavallo, congregationis Camaldulensis Abbati generali. Ravennam.
